

**1986-02-24- SS Ioannes Paulus II - Oratio ‘Occasione Oblata Concilii’**

ALLOCUTIO IOANNIS PAULI PP. II  
OCCASIONE OBLATA CONCILII PRO CANONIZATIONES BEATORUM  
JOSEPHI MARIAE TOMASI ET FRANCISCI ANTONII FASANI  
Die XXIV mensis Februarii, anno Domini MCMLXXXVI

Iuvat me, Venerabiles Fratres, post peracta spiritalia exercitia, unde quietis animi et corporis aliquantum hausi et quendam renovatum ardorem Ecclesiae Dei serviendi, vestrum carum et exspectatum adventum gratulari, Vosque omnes et singulos, in hac Aula congregatos benevolentissime salutare. “Gratia, misericordia, pax a Deo Patre et a Iesu Christo Filio Patris, in veritate et caritate” (2 Io. 3) sit semper vobiscum. Gratus ipse vobis sum quod huc convenistis, officium exsecuti mihi assidendi consilio, opera, usu rerum, in iis quae ad meum pastorale munus pertinent. A vobis igitur singulis peto auxilium, rogo sententiam, ut prudenter possim decernere.

Adiuvat hoc nostrum Collegium ipsum quadragesimale tempus, quo inter cetera est nobis recogitandum de mandato, gravissimo equidem, quod a Domino accepimus; adiuvat exoptata et proxima Sollemnium Paschalium laetitia: in hoc enim Christi mysterio tuta Ecclesiae sors est posita, cum Is vicerit mundum, et spes nostra: qui ideo laboramus, ideo onera omne genus sustinemus, ideo patimur, ut huius victoriae testes simus, et inde reportemus finem fidei nostrae salutem animarum (Cfr. 1 Petr. 1, 9).

Adiuvat denique ipsum negotium, quod hodie tractabimus, id est sacra Canonizatio beatorum Iosephi Mariae Tomasi, Cardinalis, Ordinis Clericorum Regularium vulgo Theatinorum, et Francisci Antonii Fasani, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum Conventualium.

Non possunt namque non flagrare corda nostra amore Domini, qui alios sanctos viros proponit omnibus Christifidelibus ad imitandum nostrosque constituit apud se intercessores; non possunt non flagrare amore Ecclesiae, quae filii suis sanctis, quos per saecula genuit, duo adiungit sanctitatis lumina.

Cui sanctae nostrae Matri Christus, eius Sponsus, adsit; adsit Beatissima Virgo Maria, sanctorum omnium insuperabile exemplar et Regina; adsint beati Iosephus Maria Tomasi et Franciscus Antonius Fasani precationibus suis: ut ea perget esse fecunda sanctorum, etsi mali tempestates numquam in eam saevire desistunt.

© Copyright 1986 - Libreria Editrice Vaticana